



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.28. Concilia Nannetanum & Parisinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

nis quadraginta & amplius interrupta **Sæcul XIII.**
fuit. **A. C. 1264.**

§. XXVIII.

Concilia Nannetanum & Parisinum.

Vincentius Archiepiscopus Turonensis *to. II. p. 726.*

hoc anno 1264 die Martis post festum S. Petri, nimirum 1 Julii suum concilium provinciale Nanneti habuit. Novem ibi canones promulgabantur. Præsules ac Patroni nemini promittant beneficium nondum vacuum: Vicarii non constituantur præterquam in casibus, in quibus id a jure permittitur. Nemo a Clericis portorium exigat pro rebus, quas non mercimonii causa vehi curant. Qui habet beneficium animarum cura præditum, ibi resideat; & quod consequitur, si aliud ejusmodi beneficium obtinet, primum amittat. Clerici, præsertim Sacerdotes ac Religiosi venatu se non exercent. Monachorum numerus in Prioratibus non diminuatur. Præsulibus, cum provinciam lustrant, duo tantum cibi apponantur.

can. 1.

4.

7.

6.

3.

c. 2.

c. 5.

Eodem anno postridie festum S. Bartholomæi nempe 26 Augusti Parisiis quoque concilium agebatur, in quo Legatus Simon Briensis Cardinalis S. Cæciliæ *to. II. p. 828*

E e 3

præsi-

Sæcul. XIII. præsidebat. Rex S. Ludovicus veteri ac
 A. C. 1264. generali juramentorum abusu & blasphemiarum peste regnum suum speciatim occupante graviter commotus, eamque radicatus extirpare serio cogitans cum Legato consilium iniit, cuius & sua auctoritate hunc conventum ex Præsulibus Proceribusque collegit. Legatus sermonem nervosum habuit, cui Rex pro suo religionis studio piam exhortationem iunxit solidis & clare expositis rationibus fultam. Tum ex universi cœtus sententia decretum edidit severissimum, quod toto in regno promulgatum etiam executioni mandari voluit. Nam cuidam civi Parisino, qui nefarias in Cœlum voces evomuerat, candente ferro labia notari iussit, ut exemplum statueret: ac plures viros sapientes, quales profanis quidem hominibus videbantur, id carpere audiens, Vellem, ajebat, similiter esse signatus, & hanc deformitatem per omnem vitam meam ferre, dummodo istud vitium e regno meo prorsus exterminatum esset. In hoc ipso conventu Legatus a Clero gallico decimam obtinuisse creditur, sine qua Carolus Andegaviæ Comes expeditionem in Siciliam suscipere recusabat, & hoc cum Principe conditiones constituit, quibus is ut Rex Siciliae inauguraretur.

Sæcul. XIII.
A. C. 1264.

G. mfr. Bel-
lohc. c. 22.
D. Chesne
p. 459.

Joinv.
p. 120.

to. 9. Spicil.
p. 716.